

I. N. D. O. M.

Dissertatio Academica,

Continens Disquisitionem:

AN VIRTUTES GENTILIUM SINT
SPLENDIDA TANTUM PECCATA?

Quam

Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

P RÆS I D E

Mag. JOHANNE BILMARK,

*Histor. ac Philos. Pract. Professore Reg. & Ord.,
nec non*

Facultatis Philos. b. t. Decano,

P R O G R A D U

Publico Examini subjicit

CAROLUS JOHANNES NORDLING,

Ostrobotniensis,

In Auditorio Majori die XIX Junii A. MDCCXCIV.

Horis ante meridiem solitis.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,
Dn. Mag. ANDREÆ CHYDENIO,
S. S. Theologiæ DOCTORI, Ecclesiæ, quæ DEO in Gamle
Carleby colligitur, PASTORI,
nec non
Vicini Districtus PRÆPOSITO,
PATRONO BENIGNISSIMO,

*Ob beneficia, & meritis & exspectatione majora, in se
collata, dissertationem hanc, quum melius non suppeteret pie-
tatis nunquam intermorituræ pignus, offert*

PATRONI BENIGNISSIMI

humillimus cliens
CAROLUS JOH. NORDLING.



PRÆFATIO.

Vitas hominum, quos Gentiles (a) appellare moris est, ad fidem Scriptorum, qui eas memoriæ prodiderunt, perlustrantes, satis animadvertisimus, non paucos eorum (b), dum viverent, talibus inclaruisse factis, qualibus & æqualium amorem & posteriorum promeruerunt laudem. Quo autem nomine illa sint insignienda, de eo inter eruditos non convenit. Veteres Auditores facta ista notio virtutis, quam sibi formarunt non prorsus ineptam, per hanc intelligentes habitum animi, rationi consentaneum, vel ut aliis placuit, facultatem recte ac bene vivendi, applicantes, nomen virtutum eis tribuere haud dubitarunt; quod vero elogium illis derogant plerique Patrum Ecclesiae & Scholasticorum Doctorum, alias nullam actionem humanam pro virtute habentium, quam præceptis Evangelii conformem. Imprimis autem constat, inlytum Hippomensium Episcopum, AUGUSTINUM, virtutes Gentilium *splendida tantum peccata* (c) appellasse, quibus verbis subinnuere forte voluit, eas esse quædam solummodo virtutum simulacra. Edidit

A

quo-

* * *

quoque superiori seculo Illustris Scriptor Gallicus DE LA MOTHE LE VAYER prolixam tractationem de *Virtute Gentilium*, in qua tamen non veram virtutis hujus indolem exponere aggreditur, duo alia potius argumenta sibi sumens enucleanda, alterum, quid de æterna Gentilium salute ex mente plerorumque Patrum & auctoritate Ecclesiæ Romanae sit habendum, alterum, quo si non eluat, saltem imminuat vitiorum quorundam maculas, præstantissimis inter Gentiles Philosophis communiter adsingi solitas (d). Rigidorem actionum humanarum censuram instituit Scriptor Gallicus admodum celebris L'ESPRIT FLECHIER, qui in Libro, quem *La Fausseté des Vertus humaines* inscripsit, ostendere nititur, quaslibet virtutes, quarum insignem adfert seriem, ex solis naturæ viribus procedentes, esse falsas, nec alias esse veras ac genuinas, quam quæ gratiam Divinam agnoscant genetricem. Quo loco nostræ Ecclesiæ Doctores habeant virtutes Gentilium, aliis enarrandum relinquimus, ne falcem in alienam mittamus messem, obiter notantes, multos eorum a sententia Augustini haud longe discedere. Sufficit, quod ex allatis pateat, nobis non desuisse rationem, in factorum Gentilium indolem inquirendi, atque ex hac cum genuina virtutis notione collata ostendendi, eadem virtutum nomine non esse indigna. Sin autem in arduo hocce arguento hallucinari nobis congerit, homines enim sumus, & nihil humani a nobis alie-

* * * *

alienum putamus, veniam B. Lectoris qua par est ob-
servantia nobis enixe expetimus.

(a) *Gentiles* sunt, quotquot a vera Dei & operum Di-
vinorum cognitione, in sacris pandectis patefacta,
absunt. (b) Per *Gentiles* non intelligimus promiscuam
horum multitudinem, ad moralitatem suarum actionum
vel non attendentem, vel eam perverse asti-
mantem, sed eos, qui suam excoluerunt rationem,
& huic convenienter suam instituerunt vitam. (c) Vid.
Libr. IV contra Julianum Cap. 3 (d) Vid. *Oeuvres de Frangois de le Mothe le Vayer Tom. V. Part. I.*

§. I.

Virtuti notionem licet non eandem, nec tamen
plane diversam tribuunt Philosophi, quorum plerique
eam definunt per serium studium actiones suas ad Le-
gis Divinæ normam componendi; pro qua autem a-
liis placet definitio virtutis, quod sit actio humana Le-
gi Divinæ ex proposito agentis conveniens, quam po-
steriorem, quæ naturam virtutis moralis proprius ex-
haurit, nostram nunc facimus (a). In confessu enim
est, quoties de virtute alicujus hominis disquiritur,
toties questionem non institui de eo, quod is intende-
rit facere, sed quod reapse fecerit. Præterea quum
norma virtutis moralis, cui virtus Christiana contra-
distinguitur, non quod essentialiter differant, sed di-
versum tantummodo cognoscendi principium habeant,
sit Lex Naturalis, cuius prima & utilissima præcepta
cuivis, qui rationis suæ culturam non prorsus negle-

* * 4 * *

xit, adeo evidētia occurrunt, ut *cordibus nostris inscripta* phrasē Biblica dicantur, & Gentiles rationis ductum sequentes ad Legis Naturalis normam suas instituerint actiones, ut Historia adfata docet, ini- quum foret laudem omnem virtutum moralium eis de- negare. Ex adverso, quum peccatum consistat in ac- tionis a Lege Divina discrepantia, adeoque virtuti opponatur, nec illud huic nisi plane inepte applicari potest; unde sequitur, virtutes Gentilium non esse pec- cata, quicunque etiam his mutuetur splendor.

(a) Non equidem ignoscamus, quosdam priorem alla- tarum definitionum applicare virtuti morali, poste- riorem officiis; qua autem admissa opinione, virtus agendi conatu magis, quam ipsis se exlereret actionibus; qua tamen virtutis notio communi de virtute morali sententiae haud est congrua. Absolum cer- te non est, si contendamus, binas has locutiones: virtutes colere, & sua præstare officia, esse synony- micas.

§. II.

Produnt se virtutes præstatione officiorum, Dō, nobis ipsis & aliis hominibus debitōrum; quare insti- tuti postulat ratio, ut seorsim dispiciamus, quomodo illorum intuitu & senserint & se gesserint faniores Gen- tilium. Dissiteri nemo potest, plerosque Gentilium in Polytheismū (a) atque Idolatriam propendisse; quae mala, a quorum contagione ne quidem Israēli- tæ, dilectum Dei peculium, fuerunt immunes, cras- fissimis ignorantiae tenebris, maximæ orbis nostri parti olim

* * * *

olim incumbentibus, erunt tribuenda; non tamen plane Athei (b) fuerunt, ab omni lana de Deo cognitio ne prorsus remoti. Hanc de existentia Dei persua sionem gentibus fuisse communem asserit CICERO, ipse licet gentilis, nullam, inquiens, gentem esse, neque tam immansum, neque tam feram, quae non, etiam si ignoret, qualē habere Deum deceat, tamen habendum sci at (c). In hoc autem Numinē plures perfectiones, ut actionum a se suscipiendarum motiva, venerabantur, scilicet 1:o *Omnipræsentiam*; THALES enim Milesius statuit, homines existimare oportere, Deorum omnia esse plena, Deos omnia cernere, fore enim omnes easfiores (d); 2:o *Eximiam bonitatem*, in qua prædicanda multi Gentilium adeo sedulos se præbuerunt, ut eam fatis admirari non possent. Quoties ne Jovem Optimum maximum, & Deos bonos celebrant? Quoties ne Deorum benignitatem, munificentiam atque amorem in homines prædicant? Eis accepta referebant saniores præcipua, quibus fruebantur, bona; ita quidem ut PLATO doceret, virtutem neque natura, neque doctrina, neque exercitatione parari, sed Dei donum esse (e); cui etiam adlentit SENECA, adfirmans: *Virum bonum sine Deo esse neminem* (f); 3:io *Justitiam*, quare in suum induxerant animum, Jovem, Deorum Supremum, semper occupari tam in remunerandis bonorum factis, quam in puniendis malorum facinoribus. Et quum saepius experientur, hominum in hac vita conditionem actionibus eorum non respondere, ipsis quo-

que fuit persuasum, post scenam heic peractam, aliam dari vitam, in qua accuratior foret actionum humana-
rum retributio, virtutumque alumnos in campis E-
lysiis sine ulla mali mixtura quibusvis bonis perpe-
tim fruituros, vitiorum autem mancipia exquisitissi-
mos in tartaro cruciatus sine spe melioris conditionis
passura. Praeterea quod ad cultum Dei attinet, Diis
offerendum censuerunt *Compositum jus, fasque animo,*
santosque recessus - - *Mentis, & incolum generoso pe-*
dus honesto (g), vel ut CICERO præcipit, *Eos semper*
pura, integra & incorrupta mente venerari (h). Nec
tamen intermisserunt, externis actibus gratum Deo te-
stari animum, pro suo ingenio preces, vota & sollem-
nes hymnos ad Eum fundentes, festa in ejus honorem
instituentes, donis ac spoliis subinde opimis templis
ornantes, nec non sumtuosa sacrificia iterum iterum
que immolantes, cui cultus generi licet multum per-
versi in executione admiseretur, in ipsa tamen in-
stitutione studium haud vituperandum summo Numi-
ni placendi promicat. Imo quum ingentem Deorum
numerum esse sibi persvaderent, nescirent autem an
non plures adhuc essent, ne Numen quoddam præ-
terirent inhonoratum, ignotis etiam altaria exstruxer-
unt; hinc ara *Ignoto Deo* ab Atheniensibus consecra-
ta; hinc in quibusdam templis loculus, statua vacuuus,
relictus, Deoque invisibili consecratus (i). Quum i-
taque gentilium multi animum his aliisque similibus
principiis gererent imbutum, atque his convenienter,

uti

uti ex vitiis eorum patet, Deo officia præstarent, & PYTHAGORICO-PLATONICI docerent, finem actionum humanarum esse ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ, assimilationem Deo (k); quisque, ut nos opinamur, haud ægre admittet, actiones eorum, licet non in totum, in tantum tamen, quantum eorum permisit conditio, Legi Divinæ fuisse convenientes, adeoque virtutis nomen eis non prorsus denegandum.

- (a) Præstantiores Gentilium licet sibi satis perspectum haberent, Polytheismum sicut sanæ rationi adversum, ita ineptum esse, eum tamen, præter SOCRATEM, nemo publice impugnare est ausus, hujus quippe exemplo edoceti, tale factum superstitionis illis temporibus fuisse capitale; ex animi tamen sententia unum solummodo esse Deum credebant saniores. Quocirca scitum omnino fuit effatum EPICURI, inter suæ ætatis religiosos non habiti: *Impius est*, inquit, *non qui tollit multitudinem Deorum, sed qui Diis multitudinis opiniones applicat*, vid. Epistol. ad Menoeceum apud Diogenem Laërtium. (b) Adfirmat WOLFIUS virtutem naturalem in Atbeas etiam cadere, per quos autem intelligit omnes, qui distincta Dei cognitione destituuntur, Vid. Philos. Practicæ Univers. Libr. I. §. 338. (c) Vid. Libr. I. de Legibus §. 24. (d) Vid. CICERONIS Libr. II. de Legibus §. 26. (e) In Menone. (f) Vid. Epistol. XLI. (g) Vid. PIRSI Satyr. II. v. 74, 75. (h) Vid. Libr. II. de natura Deorum §. 71. (i) Vid. Les Oeuvres de la Motte le Vayer Tom. V. Part. I. p. m. 320. (k) Vid. PLATO in Phædope p. 80. & in Theæteto p. 376.

§. III.

Officiorum nobis ipsis debitorum alia concernunt animam, alia vero corpus, quorum neutra plane intermiserunt saniores gentilium. Ut animæ excoolerent facultates, non solum libenter se in disciplinam traherunt eis, ex quorum institutione in scientiis proficere possent, sed in exteris quoque regiones peregre sunt profecti, cognitionem domi acquisitam in suum & popularium usum quovis impendio aucturi. Et quum exercitio virtutum moralium turbulenti imprimit obstant adfectus, qui exæstuantes lumen rationis ita obscurant, ut homo moralitatem actionum generatim cognitam in casibus singularibus non perspiciat, in eo elaborarunt, ut illos in sua haberent potestate; Stoicis eo usque progradientibus, ut adfectus esse extirpandos docerent. Quorum licet placitum non valuerit, utpote naturæ humanæ contrarium; plura tamen sunt eorum exempla, qui adfectuum suorum impetu fortiter resistent. Miramur igitur CYRUM, SCIPTIONEM, aliosque ejusdem erectæ indolis viros, exquisitissimis voluptatum illecebris, a fortuna sibi oblatis, amore virtutis magis, quam metu reprehensionis ductos, frui noluisse. Scilicet sollicitantibus in suas partes affectibus opposuerunt canonem: *Est virtus placitis ablinuisse bonis.* Male quidem ob voluptatis studium a multis audit EPICURUS, quam de eo suspicionem auxerunt multi suorum declarum, in luxuriam pronissimi, aliamque non curantes voluptatem, quam

quam corporis saginæ inservientem; docent tamen Scriptores, qui vitam Epicuri litteris consignarunt, eum voluptatem animi, fructum vitæ bene transactæ, commendasse, sobrietatis fuisse studiosissimum, eumque proinde non semel professum, se, si panem modo & aquam haberet, paratum esse etiam cum Jove de felicitate certare, ceu perhibet STOBÆUS (a). Quan solliciti autem non pauci gentilium fuerint de continuo virtutum studio, ex vitæ examine, quotidie secum instituto, colligi potest, cujus memorabile exemplum reliquit SENECA, ita scribens: *Utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, & conticuit uxor, moris jam mei conscientia, totum diem mecum scrutor, facta & dicta mea emetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo; quare enim quicquam ex erroribus meis timeam? cum possem dicere: Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco.* In illa disputatione pugnatus locutus es: *noli postea congreedi cum imperitis. Nolunt discere, qui nunquam didicerunt. Illum liberius admonuisti, quam debebas: Itaque non emendasti, sed offendisti. De cætero vide, non tantum an verum sit, quod dicens, sed an ille, cui dicitur, veri patiens sit (b).* Quum itaque meliores gentilium vitam suam modis jam dictis componerent, & insuper curarent, ut mens sana habitaret in corpore sano, ambigere nemo potest, quin hæ actiones, quibus officia erga nos constant, Legi Divinæ fuerint congruae, ad eoque virtutibus moralibus annumerari debeant.

(a) In sermone de continentia & sobrietate. (b) Vid.
Liber, III, de ira Cap. 36.

§. IV.

Quod ad officia, aliis hominibus debita, attinet, nec in eis præstandis socordes fuisse Gentilium multos constat, quorum nempe animis præceptum Juris Naturalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quotidie observabatur, & quo aliis nocendi stimulus haud parum retundebatur. Perspexerunt insuper, parum esse alios non læsisse, nisi eos, sua egentes opera, opportune adjuvassent, quare CICERO, ut humanitatis præco, monet: *nos non nobis solum natos, sed homines hominum causâ esse-generatos, ut ipsi inter se alias alii prodesse possent* (a). Extra oleas autem omnino vagaremur, si singularia quædam iustitiæ, bonitatis, liberalitatis, cæterarumque virtutum, quæ aliis potissimum sunt præstandæ hominibus, exempla in medium nunc adferremus, quippe quorum insignem messem, a se collectam, posteritati reliquit VALERIUS MAXIMUS; silentio tamen præterire non possumus, integras Nationes sensu honestatis adeo fuisse imbutas, ut hanc speratis quantumvis magnis præferre commodis non dubitarent. De Atheniensibus legimus, quod consilium THÉMISTOCLIS, quo patriam ad summum potentiae culmen haud operose evehernet, nondum lieet sibi detectum, unanimes improbaverint, simul ac ARISTIDES, quem ejus consortem esse voluerat populus, indicasset, illud quidem patriæ utilissimum,

mum, juxta vero ab honestate esse remotum (b). Imo ex Legibus Atheniensium diris devovebantur, quotquot officia innoxiae utilitatis aliis, eorum indigis, non præstarent. Addo, quod in generali officiorum erga alios observantia non substiterint prudentiores Gentilium, sed, incidente inter isthæc officia collisione, non ignoraverint, quo illa ordine præstare deberent, & quidem pro objectorum diversa dignitate, *Deo immortali primas, patriæ secundas, parentibus tertias &c. partes tribuerent* (c). Ex quibus in summam collectis firmiter concludere licet, virtutes Gentilium clasii peccatorum nequaquam esse inferendas,

(a) *Vid. Libr. I. de officiis Cap. VII.* (b) *Traité des Etudes par Mr. ROLLIN Tom. III. p. 294, 295.* (c) *Vid. Cit. CICERONIS Libr. I. Cap. XLV.*

§. V.

Quoniam vero indirecta propositionis alicujus demonstratio magis interdum stringit, quam directa; illa etiam ad ostendendam virtutum Gentilium indolem uti juvat. Demus igitur, ARISTIDIS abstinentiam & justitiæ studium, CIMONIS beneficentiam, EPAMINONDÆ veracitatem, SCIPIONIS castitatem, aliorumque Gentilium bonas actiones fuisse tantummodo peccata; quare quum oppositorum sit opposita ratio, sequitur, avaritiam, injustitiam, duritatem erga pauperes, mendacium, adulterium, aliosque ejusdem furfuris actus in virtutum numerum esse referendos; quod nemo,

cui sanum modo est sinciput, unquam admittet. Adeoque iniqui sunt judices, quotquot bonas Gentilium actiones, ob defectus nonnullos eis adhaerentes & formem comitantes humanam, ita extenuare nitantur, ut eas pro peccatis solummodo habeant.

§. VI.

Pro nostra autem defendenda sententia, quod nimirum virtutes Gentilium non sint splendida (epitheton hoc adjectum non emollit earum indolem) peccata, vix aliud firmius adferri potest argumentum, quam quod Deus Ipse, Ens sanctissimum ac justissimum, illos specialibus earum intuitu ex sua tamen gratia, ornaverit praemiis, in quam rem nonnulla tantum, sed luculenta, adferemus exempla. Sieut igitur Deus præcipuam populi Israëlitici habuit curam; ita etiam obstetrices Ægyptiacas, Siphram & Puam, inhumatum Regis Pharaonis mandatum, de infantibus Israëllitarum recens natis e medio tollendis, dextre eludentes, multis mactavit bonis, quæ eleganti phrasí Biblica, quod *DEUS eis domos extruxit* Exod. I: 21. designantur. Similiter de CYRO, Persarum Monarcha, legimus, quod Deus sesquicculo antequam nasceretur per Prophetam ESAIAM eum nominaverit, eique propter suum in oppresos Israëlitias favorem, benedictionem promiserit: *Dabo tibi thesauros abstrusissimos & repositas opes abditissimas - - - propter servum meum Jacob & Israël electum meum* Es. XL: 3, 4. Imprimis

mis autem est memorabile Centurionis illius Cæsariensis, CORNELII, exemplum, Act. X. occurrens, cui tale testimonium Angelus DEI, ad eum missus, perhibuit, v. 4. *ἀὶ προσευχαῖ σε καὶ ἀὶ ἐλεημοσύναι σε ἀνέβωσαν εἰσ μνημόσυνον ἐνώπιον τῆς Θεᾶς*, hoc est, *preces & eleemosynæ tuæ adscenderunt in memoriam coram DEO*; cui etiam beneficentissimus DEUS suam impertivit salutarem gratiam; quocirca notandum est elogium Apostoli PETRI: v. 34, 35: *Ἐπ ἀληθείᾳ καταλαμβάνομεν, ὅτι ἡκ τέσι προσωπολήπτης ὁ Θεός, ἀλλ' ἐν πάντι ἔθνει ὁ Φοβόμενος ἀυτὸν καὶ ἐργασόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς ἀυτῷ ἔσω, i. e. In veritate comperio, DEUM non respicere ad personam, sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis, qui eum timeat, & operam det justitiæ. Quamvis vero PETRUS, Spiritus sancti Numine actus, rotunde adfirmet, DEUM non esse προσωπολήπτην; sed quemvis, in quavis gente DEUM timentem & justitiæ operam dantem, Ei esse acceptum; plerique tamen Theologi hanc assertionem ad eos tantum restringunt, qui fidem saltem implicitam, ceu loqui amant, habent, proindeque contendunt, Cornelium non Gentilem, sed Profelytum portæ fuisse. Ex adverso tamen non defunt argumenta, quæ Centurionem hunc fuisse gentilem svadere videantur. Primo enim haud opus fuerat, ut DEUS animum Apostoli Petri emphatico, quo factum est, modo ad evangelium profelyto, in communionem Ecclesiæ Judaicæ jam admisso, annuncianendum excitaret. Deinde Petrus, missioni Divinæ obe-*

diens, in exordio concionis, ad Cornelium & ejus domum habitæ, fatetur, se jam comperire, DEUM εἰναι προσώπολύπτιν, sed quemvis pium justumque in quovis populo ei esse acceptum, quæ verba auditribus suis, nisi Gentiles fuissent, non convenisent. Legimus denique Act. XI; 2, 3, conversos Judæos, Hierosolymis degentes, Petro fuisse indignatos, quod ad Gentiles, seu præputium habentes, esset ingressus; his verbis Cornelium & ejus domum indigitantes. Quum itaque Gentiles ob bona opera DEO sint accepti, hæc ad peccatorum, Sanctissimo Numini semper ingratorum, classem perperam omnino referuntur.

§. VII.

Forte autem quis concedens, argumenta a nobis hactenus allata suo non destitui robore, urget tamen, eadem uno convelli iictu, illis contradicente dicto Biblico in Epist. PAULI ad Romanos Cap. XIV: 23. occurrente: πᾶν ὁ ἐκ ἐν πίσεως, ἀμαρτίᾳ ἔχων, id est: *quicquid non est ex fide, peccatum est;* quare cum in confessio sit, virtutes Gentilium ex fide non fuisse, cum AUGUSTINO colligunt, eas pro peccatis esse habendas. BALDUINUS igitur in hunc versum ita commentatur: *Sane B. Augustinus virtutes Gentilium nominare peccatum non dubitavit, non quod in suo genere & materialiter actiones malæ sint; sed partim quia non recte fine fiunt, neque etiam a persona DEO grata; nihil enim personam DEO gratam & acceptam facere potest, quam fides*

fides in Christum; ex quo fundamento virtutes illæ Ethnicorum peccata vocantur, nimirum non intrinsece & in sua natura, sed extrinsece in judicio Dei consideratæ, absque fide factæ &c. (a). Hoc quidem argumentum foret omni exceptione majus, si voci fidei unica tantum significatio in sacris litteris tribueretur, eademque fides salvifica, cuius objectum est CHRISTUS, constanter indigitaretur; contra ea autem plures τῆς πίσεως significatus in libris occurrere Canonicis, nisi in his peregrinum fugere potest neminem. Inter hos notandum, quod quum fides in citato Scripturæ S. loco opponatur conscientiæ dubiæ, eaque notione pluribus in isthoc capite occurrat vicibus, evidens sit, per fidem heic indigitari conscientiam certam, seu de moralitate actionum suarum plene informatam, qua gaudens homo bonum nec spe alicujus lucri, nec vana quadam ostentatione, sed ideo facit, quod certa sua conscientia illud præcipiat, & in eo præcipuum inveniat animi sui oblectamentum. Quum itaque in confesso sit, Gentilium multos ex his aliisque certe non improbandis motivis plures edidisse actiones, neque his ex mente Apostoli PAULI, macula quædam peccatorum erit adsingenda.

(a) Vid. *Ejus Comment. in Epist. ad Romanos p. 250.*

§. VIII.

Rationibus in medium hactenus allatis duas annexo observationes, alteram, quod licet B. AUGUSTINUS

NUS virtutes Gentilium atro notet carbone, laudet tamen veteres Romanos, adjiciatque, DEUM eis imperium orbis terrarum ob eorum moderationem & aequitatem concesisse (a), quæ opiniones contradictionem haud obscuram continent, alteram, quod mirum non sit, Eru-ditorum multos virtutes Gentilium adinstar peccatorum habuisse, veritos scilicet, ne si contrariam admitterent sententiam, parum ab eorum errore abesse putarentur, qui opinentur, quosdam Gentilium salutis æternæ futuros participes. Enimvero quum nec virtutes Christianorum, nedum Gentilium, sint causa salutis æternæ meritoria; patet ab indole actionum ad futuræ vitæ conditionem feliciorem argumentari non licere. Concedimus omnino, bonas Gentilium actiones multis laborare defectibus, quum virtutis tamen criteria in eas quadrent, nec hujus nomen eis erit denegandum; sicut nemio inficiabitur, infantem vere esse hominem, quamvis eam perspicaciam & illud corporis robur, quibus juvenis ovat, desideret. Cæterum disquisitio illa, multum agitata, de futura proborum Gentilium post hujus vitæ curriculum conditione, ad modestam illam, quam nos profitemur, Philosophiam non spectat, nobis imperantem, in effato Apostoli PAULI in Epist. ad Rom. Cap. XI: 33, 34. esse acquiescendum: *Quam inscrutabilia sunt Dei iudicia, & Ejus viæ im-pervestigabiles? Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit a consilio?*

(a) Vid. Libr. V. de Civil. Dei Cap. 19 & 21.